



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 118. Romam sub alieno habitu profectus, in itinere captus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1476.

§. CXVIII.

*Romam sub alieno habitu profectus,
in itinere captus.*

Verum Alphonsus ibidem a metu haud vacuus erat; timebat enim, ne eum Galliarum Rex Ferdinando hosti suo traderet. Unde ad Joannem filium suum literas dedit, eidem denuncians, ut pleno jure ac regia potestate impofterum Lusitanis imperaret, nec deinceps ullam Patris sui curam haberet. Ipse vero postea mutata veste, sine comite Romam versus clam sese itineri accinxit, eo fine, ut ibidem in quodam monasterio religiosa castra sequeretur, ac per solitudinis quietem dolorum vehementiam temperaret. Verum a nonnullis in via cognitus, a quodam Normanno, Robineto Boe nomine, interceptus est. Ludovicus re compta adversam Alphonsi sortem vehementer miseratus, ut luculento testaretur argumento, Alphonsum temera suspicione motum credidisse, quod eum inimico suo tradere molitus esset, confestim in Normanniæ oris plures naves omni armorum apparatu instrui jubet, eisque Georgium Legerum præficit, dato negotio, ut Lusitanum Regem in libertatem assereret. Valuit successus; Legerus enim Alphonsum omnino liberum feliciter

le Bœuf.

ter in Lusitaniam reduxit. Hunc Joan-
 nes Filius ejus ingenti animi sui lætitia
 in oppido Casales excepit, eumque Re-
 gni habenas resumere amica vi compulit,
 quas etiam aliquot adhuc annis modera-
 batur, omni tamen Castellæ potiundæ spe
 dejectus; postea tamen Principes de hoc
 Regno contententes litem inter se amice
 componebant. Philippi Comminæi con-
 jectura est, quod Alphonsus, si ei Ludo-
 vicus Rex mature copiarum subsidia mi-
 sisset, facili negotio totum hoc Regnum
 in suam potestatem redegisset, pluribus
 ejusdem urbibus jamjam illius imperio
 subjectis. Sub Alphonfi Regno ac fer-
 ventibus tumultibus hoc anno suscitatis,
 ejus subditi incognitas quasdam in Ame-
 rica Regiones detexerunt, ibidemque
 Joannes Santarinus, & Escobarus ca-
 strum, Mina dictum, construi fecerunt, &
 Ferdinandus de Po Insulam a se detectam
 a suo nomine *Insulam Ferdinandi* nuncu-
 pavit; Segurra autem Promontorium
 S. Catharinæ invenit, quod hoc nomine
 insignivit, eoquod ipse eadem die huic
 Divæ sacra ibidem appulisset.

§. CXIX.

*Ludovici XI. consilia de occupanda
 utraque Burgundia.*

Ludovicus XI. Galliarum Rex, cum
Hist. Eccles. Tom. XXIX. Qq jam-

Sæcul. XV.
 A.C. 1476.

Com. l. 5. c. 7.

S. Georgio!
 della Mina.